

*8* Q. D. B. V. F. g. num. 34  
DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> JURIDICA.  
*337.* DE JURE  
RELUENDI  
FEUDUM SUB  
HASTAVENDITUM.

*Occasione Ord. Proc. & Jud. Lus. Super. P. 2. §. 4.*  
QUAM AUTORITATE  
ILLUSTRIS FCTORUM ORDINIS  
P R A E S I D E

D. JO. FRIED. TROPPANNER,  
PROF. PUBL.

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT


DANIEL RIECH, GORLICIO - LUSAT.

D. XIV. JAN. M DCC XII.  
H. L. Q. C.

L I P S I A E,  
LITERIS JOH. SAMUEL. FLEISCHERI.



DOCESSERATATIO HERBICAY  
IUNRE  
RULUNIDI  
EUNDUMB  
MUTUNATASA  
WULTURUSUOURUWUDUWU  
DUOUTUEURUWUNUFUEURU  
DUANUTEURUWUAUTU



VIRIS  
MAXIMEQUE STRENUO, DOMINO,  
DOMINO  
**GOTTLOB CHRISTIANO**  
**VIETZTHUM**  
AB ECSTÆDT.

HÆREDITARIO DOMINO IN IAHMEN, KLIETHEN, KOENIGSVVARTHE, OELSA, TASCHEL, DURRBACH, KOSEL, DOBERSCHUTZ, &c.

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI  
REGIS POLONIARUM, ET ELECTORIS SAXONIÆ CONSILIARIO, ITEMQUE CURIÆ PROVINCIALIS,  
DUCATAS GORLICENSIS PRÆSIDIDI ATQUE DIÆ-  
CETÆ EMINENTISSIMO ETC.

UT ET  
VIRIS  
ILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS  
DOMINO  
**CHRISTIANO LUDOVICO**  
A GERSDORF,  
HEREDITARIO DOMINO IN GLOSSEN  
ET SCHOEPS ETC.  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO REGI PO-  
LONIARUM ET ELECTORI SAXONIÆ A CONSILIIS.  
DOMINO  
**FRANCISCO CAROLO**  
A SCHACHTMANN,  
HEREDITARIO DOMINO IN HERMSDORFF  
ET LINDA ETC.  
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO REGI  
POLONIARUM ET ELECTORI SAXONIÆ  
A CONSILIIS ETC.  
IN LUSATIÆ SUPERIORIS CIRCULO GORLI-  
. CENSI PROCERIBUS PROVINCIALIBUS  
SPLENDIDISSIMIS.

NEC NON  
VIRIS  
PRÆNOBILISSIMIS, EXCELLEN-  
TISSIMIS, AMPLIASSIMIS, CONSULTISSIMIS  
ET PRUDENTIASSIMIS, DOMINIS,  
DOMINIS  
CONSULIBUS  
PRÆTORI  
SYNDICO  
SCABINIS  
ET  
SENATORIBUS.

INCLYTÆ CIVITATIS GORLICENSIS  
PATRIBUS CONSCRIPTIS  
DOMINIS SUIS GRATIOSISSIMIS  
ET  
PATRONIS OMNEM ÆTATEM MAXIME  
OBSERVANDIS.

NEC NON

VIRI

HOC, QUALE QUALE, STUDIORUM  
ACADEMICORUM

SPECIMEN

DEMISSA MILLORUM COMMENDATIONEM

OFFERT

RESPONDENS.



*Q. D. B. V.*

*§. I.*

**P**Elusionis materia frequens ac utilis est , nec  
controversiis vacua, lateque adeo patet, ut  
non modo in Allodialibus ; sed & in feuda-  
libus aliqua de relutione tractatio sit: sed, cum  
hac integra commodius in contextu operis,  
quam in angustioribus disputationis terminis  
reddatur; hac vice particulam a toto revelli,  
& de Jure Reluendi Feudum sub hastavendi-  
tum juxta P. 2. §. 4. O. P. & J. L. S. v. in allewege aber ic, nec non  
ob materie connexitatem in eodem §. obviam de Jure Emtorem,  
pinguiorem offerendi quædam agere placet.

§. II. Ut autem, quod disputationibus solenne est, in pri-  
mordio statim explicationem Vocum tradam: ne consueti moris  
immemor videar, eundem in præsenti etiam sequar. Anxius autem  
eidem inhærere, & magis verborum cortices, quam ipsam rem se-  
ctari subtile otium arbitror. Hinc verborum enodationi paucis-  
simis saltem vacabo. Jus in legibus sumitur vel pro Lege ipsa,  
qua alicui Jus quoddam conceditur: vel pro facultate morali, qua  
quis Jure a Legibus tributo uti potest, vel non uti. Utrumque  
significatum hic supponi posse, quivis facile viderit. Reluendi  
vox derivatura verbo luere si. solvere & Præpositione re, idemq; de-

A 2 notat,

notat, ac rem a nexus, quo alteri obstringitur, liberare. Ulteriores circa vocem hanc Curas Criticis Grammaticisque libenter relinquuntur: modo illud adhuc moneam, in Legibus accipi i) pro oblatione pretii redēmptionis pro captivo l. 8. ff. de Re Milit. : 2.) rem a nexus pignoratitio liberare l. 25. ff. d. pignor. Act. t. t. C. de luitione pignorum. Ast ab hisce significatisbus suo modo differt relutionis, de qua præsens tractatio instituitur, interpretatio. Etenim hic in specie spectata, denotat facultatem lege Lusatia superioris Debitori & simultaneo investitis concessam feudum sub hasta venditum ab omni Possessore intra annum & diem prævia pretii & impensarum refusione repetendi. Quanquam autem hæc reliuendi facultas aliquando etiam ex conventione partium oriſi possit: mihi tamen hac seposita, illius saltem, quam lex tribuit, & per circa Lusatia superioris feuda obtinet, ita tamen, ut Juris Sax. Elect. consensum aut dissensum paſſim inseram, investigationem instituere propoſitum est. Ubi an te omnia Jus reliuendi separandum est  $\alpha$ ) a Retractu feudal. Hic enim Venditori ipsi nunquam competit: contra relutio vel maxime in Venditoris, & quidem necessarii f. debitoris, cuius bona sub hasta publice vendita sunt, favorem est introducta.  $\beta$ ) A Jure ~~reſiliūcēs~~. Hoc locum solummodo habet in Venditione futura, impedienda sed haec tenus nondum perfecta & per traditionem consummata, & hinc Jus prohibendi, imo prælationis vocatur. ROSENTH. de Feudis C. 9. Col. 86. n. 2. sqq. st. 2. F. 9. §. porro, cuius indoles Specialius quoad forum Saxoniam cognosci poterit ex sequentibus. Extract aus dem Sächs. Land-Tags-Abschiede de ao. 1666. Wir wollen auch uns hierüber genädigst erflähret haben, daß wer von uns nach jetzt angezeigter Decision einen rechtmäßigen Vorfauff aus erheblichen Ursachen erhalten, derselbe sich damit zu rechter Zeit und zumahl bey vorgehenden Subhastationibus ante Terminum Adjudicationis gebührend anmelden, und so dann ohne jemandes Beschwerde oder Aufhalt sich dessen gebrauchen, oder damit ferner nicht gehöret, die Subhastations-Fatalia, und insonderheit die

die Adjudication deswegen im geringsten nich tverzogen, sondern ohne dieſfalls neue Verhōr oder Cognition damit verfahren werden solle. Jus relutionis autem emtionem Venditionem necessariam, omnię ex parte perfectam supponit, vid. *D. Q. A. u. G. O. P. 2. §. 4. v.* Nach erfolgter Adjudication, ν) a Revocatione Feudi. Hęc enim non datur alienanti, relutio autem præprioris Venditori s. debitori competit. Revocantur feuda non tantum oneroso, sed & titulo lucrativo alienata: 2. F. 9. §. i. *ZOESIVS de Retractu n. 85. & 91.* reluendi vero Jus saltem in E. V. sub hasta, & sic titulo oneroso facta locum habet. Revocatio fit sine pretii refusione 2. F. 26. §. *TITIUS filios:* contra relutio ex legum præscripto semper fit refuso pretio.

§. III. In originem hujus Juris reluendi operosius inquirere & num hodiernis in Rebus publicis cum ratione obtineat, operam a præsenti instituto alienam fore arbitror. Hinc lectorem Curiosum ad *PUFFND. de f. N. & G. L. V. C. V. §. 4.* qui de origine Retractus in genere occasione pactorum E. V. adjici solitorum pro more suo docte solideque differit, remitto. Feudi autem derivationem, collectis undique Feudistarum Conjecturis, prolixè tradit du *FRESNE* in *Glossar. Med. & Inf. latinit. p. 407.*

*sqq.* Quantum porro ad origines feudales attinet, eas, ut consuevit, erudite statuque Germania convenienter explanavit *Exc. Dn. THOMAS. in Disp. de origin. feud.* Tandem ea, quæ speciatim forte de originibus feudorum Lusatiae Superioris in Historiarum monumentis, quorum sane paucissima extant, notatu digna occurunt; ea ill. *Dn. Baro a GERSDORFF Reg. Maj. Pol. & Elect. Sax. a Consiliis Justitie & Aule in Dissert. de Feudis Lusatiae Superioris Cap. 1. & 2.* concinne luci publicae exhibuit. Illud unicum occasione vocis feudi admonere liceat, quod hoc loco rem in feudum datam denotet, ceu i. F. 4. sumitur.

§. IV. Hastæ, ex Romanorum Historicorum fide, tanta olim in Republica Romana fuit autoritas, ut Emt. & Vendit. nec non Loc. Cond. sub illa celebratae nulli revocationis periculo subef-

sent. l. ult. Cod. Theod. de J. & F.H.F. & l. 2. ib. de Diffract. pign. ita quidem, ut nec Principis Rescripto infringi potuerint l.i.d.t. Variie autem pro varietate Magistratum denominabantur. Hinc alia Fiscalis l. 8. C. d. remiss. pign. alia Pratoria, alia Decemviralis audiebat ZASIUS in Schol. ad ff. Tit. d. O. J. p. 115. Quæ circa ipsum Subhastationis actum solennitates apud Romanos fuerint observatae: eas cum ex ipsis legibus, tum ex fide dignissimis res rum Romanarum Scriptoribus sollicito calamo collegit Brissonius de Formulis Romanorum Tom. I. sub voce Hasta. Quem si quis legerit, facile intelliget, quantum subhastationes Romanorum ab hodiernis distent. Priscis Romanorum temporibus in omnifere alienatione Emtionem Venditionem aliquam, si non veram, tamen imaginariam intervenisse dicitur, ita ut Lege XII. Tabb. Vocabulum Venditionis omnem alienationem complexum fuerit s. denotaverit, ubi tamen BACHOVIVS Diff. 18. §. i. lit. b. dissentit. vid. LAUTERB. C. J. ad Tit. de C.E.V. Sensu autem magis naturali, & omnibus gentibus usitato Vendere significat rem pro certo pretio in alterum transferre. L. 1. §. f. l. 2. §. i. de C.E.V. Et sic, ut arbitror, obvias in rubro voces pro instituti ratione satis delineavi, adeo, ut nunc de ipsa Tractatione dispiciendum sit, in qua nonnulla de personis, inter quas negotium isthac intercedit, materia, tempore, modo, obligatione partium mutua, &c, qui ut plurimum subsequi solet, Processus s. modo Jus suum persequendi tradam.

§. V. Quo igitur justo omnia ordine peragantur: thesium subsequentium summam ductu der O. L. A. u. G. O. P. 2. §. 4. v. In allewege generali quadam regula exhibere nihil ibilit, cui reliqua tractatio eo solidius, distinctiusque poterit superstrui.

Jus Feudum sub hasta venditum reliundi Debitori atque simultaneo investitus usque ad septimum Agnitionis gradum secundum graduum prærogativam (nach rechter

rechter Sipp-Zahl) competit, oblato intra annum & diem, a tempore Adjudicationis computandum, eo-dem, quod emtor sub hasta solvit, pretio cum impensis & meliorationibus, vel, his deficientibus, Debitor intra idem tempus pinguiorem emtorem offerendi facultatem habet.

§. VI. Duplex proinde Jus, nimirum *reluendi & pinguiorem emtorem offerendi* probe discernendum erit: cum ex horum confusione nonnulli ex Doctoribus in falsos quoad hanc materiam inciderint Conceptus, falsasque ratiocinationes, quæ, ut a me evitentur, summopere allaborabo. Jus teluendi pro diversitate personarum diversimode competit. Nam illo uti possunt a) vel ipse Debitor b) vel simultaneo investiti.

§. VII. In favorem debitoris principaliter hanc Reluctio-nem introductam esse, etiam in feudalibus, nemo dubitaverit, qui verba O.P. & J.L.S.d.l. modo legerit. Quæ Juris, procul dubio ex antiquis Germanorum moribus deponiti, dispositio pariter extra Electoratus Sax. terras observatur, quod videre licet ex Fürstl. Gothaischen Proces-Ordn. P. 1. C. 17. §. 11. &c. daß dem Schuldner frey siehe, selbst zu ldsen ic. it. Magdeb. G. O. Tit. 56. §. 40. statuto Gorlic. Arte 35. &c. soll demnach der Schuldiger. Quæ sanctiones omnes Debitori, nullo habito respectu, utrum persona naturalis, an moralis, secularis aut Ecclesiastica sit, Jus hoc reluendi asserunt, &, si feuda excipias, ad ejus fere personam restringunt: ex quibus, illud contra Juris communis rationes autoritate constituentium introductum esse, facile intelligitur. Nam omni Jure, & Naturali, & Civili, invitus quisquam rem suam alienare regulariter non tenetur. Hoc sanæ rationis dictamen JCrus Pomponius I. 11. d. R. 7; dum dicit: rem nostram sine facto nostro ad alium non transfire; probe agnovit; id quo pluribus persequitur GROTIUS d. J.B. & P.L. 2. c. 18. §. 2.

§. IIX.

§. VIII. Cum itaque relutio rei sub hastavendita Jus singularē sit, quod nec ob similes, nec ob majores rationes facile ad consequentias estrahendum 1.14. f. d. LL9 : quæstio non inutilis hic sese exhibet, utrum & illa Debitori, qui Cessione bonorum usus est, concedenda sit? Quæquidem, si satis determinetur, securus ac hactenus fieri consuevit, procul dubio affirmanda est. Nimirum de illo intelligi debet Casu, quo bona Debitoris immobilia, quibus cessit, hastæ publicæ subjiciuntur. Quandoquidem id ipsum finis relutionis vel maxime requirat, ut debitor damnum, quod ex fraudulenta licitatione sentire posset, evitet; imo, si feuda spectes, hæc absq; urgente necessitate de familia non exant. vid. O. P. & J. L. S. §. 1. Cæterum reliquæ, quas hic dare solent, rationes, puta cedentem debitoris qualitatem non exuere, & iniquum esse, ut is, qui rei incommoda sentit, illius commodis privatetur; meo quidem arbitratu, hac in quæstione, non æque decisionem adjuvant.

§. IX. Cum autem Debitoribus ut plurimum valde curta domi supplex sit; ita ut, hoc beneficio, tametsi forte proficuo, utili non possint, nisi illo fine pecunia mutuo ab aliis accepta: Creditori ad ejusmodi relutionem pecuniam mutuanti Jus illud cavens, commendandum erit, ut statim sub initio mutui de expressa in fundo ipsius pecunia redimento hypotheca sibi prospiciat ac in instrumento obligationis sub hac lege pecuniam mutuo datam fulsse, exprimi curet. ZIEGLER. ad T. 43. O. P. S. verb. zum Unterpfande stehen soll. CARPZ. P. 1. c. 28. def. 108. Nam creditor tali modo jus prælationis consequitur non tantum Jure Civ. L. 7. C. qui pot. in pign. L. 17. de pign. sed & Jure Sax. ita, ut secundum posterius, in sententia designationis ante hypothecarios, licet judiciales & Creditores anteriores collocetur, prout tradit Excell. Dn. RIVIN. in Enunc. 41. 42. ad Tit. Ord. P. S. 43. p. 1548. So habt ihr diesfalls ein Vorzugs-Recht vor dem concurrirenden creditore euch zu erfreuen.

§. X. Hujus cautelæ usus in feudis Lusatia Superioris nec super-

superfluius esse videtur. Nam ibidem non tantum liberior privilegio Maximiliani II. Vasallis de feudo disponendi facultas indulta est, ita, ut modo Dno. directo id denunciaverint. vid. **D. L. L.** **D. S.** **Als erklähren** **A.** feudum sine consensu simultanee in visitorum, alienare, vendere, permutare, hypothecam quoque in eo constituere possint; sed & dispositum, quod Creditor, si de expressa Hypothecæ constitutione, intuitu pecuniaæ mutuo dataæ ad Fundum comparandum, sibi prospiciat in der **D. L. A. und G.** **D.** Classe 2da rubr. **Von denen Gläubigern, welche neben der dinglichen Gerechtigkeit** **S.** **Also wenn einen,** vi hujus pacti non solum tacitam habeat hypothecam, sed & Jus prælationis.

**S. XI.** Eadem Juris decisio adhibenda est, si duo debitores feudales concurrant. Ubi tamen Interpretes feudales pro more suo quæstionem valde controversam moverunt: An unus ex Debitoribus, si alter debitor partem suam reluere nolit, feudum in solidum reluere possit? In duas circa quæstionem hanc sententias Scriptores abeunt, quorum alii negativam, alii affirmativam, hique autoritatibus magis, quam rationibus inducti, amplectuntur. Posterioris sententiaæ assertores his potissimum utuntur argumentis: 1) Juri Accrescendi locum esse in omnibus contractibus tam lucrativis, quam onerosis, sive dere dividua, sive de individua inceantur. Duarenus de Jure accrescendi **C. 15.** 2.) Judicio b. f. in quo solum id, quod æquum & bonum est, spectatur, minus convenire, ut quis invitus in Communionem incidat. & Idem Juris in Retractu esse, teste **HARTM. PIST. L. 2. Qu. 2.** **n. 21.** & **31. ir.** **TTR. de retract. lign. §. 23.** **Gl. 5. n. 5.** 3) Ita tamen, ut is, qui integrum fundum sibi restitui petit, de retrovenienda parte socio, si eam imposterum redimere velit, caveat. Idque ex **CARPZ. P. 2. C. 1. D. 11.** probare contendunt. Quæ tamen omnia rem non conficiunt. Nam 1) Jus accrescendi in Contractibus locum non obtinet, vid. **I. 110. pr. d. V. O.** & **CARPZ. P. 3. C. 2. D. 1.** qui illud in ultimis tantum Voluntatibus obtinere diserte ex Legibus tradit, nec non **Magnif. Dn. M E N C K E** in-

*Contr. sel. Juris Civ. Disp. 13. §. 12.* Unica tantummodo ex Jure Codicis limitatio addenda erit, quod etiam ad donationem a Principe pluribus factam extendatur, ita, ut si quis forte ex his, nullo hærede relicto decesserit, ad consortem potius, quam ad aliam personam pars decedentis perveniat. *I. un. C. si liberal. imper. so- cius 2) æquum & bonum & tum observatur, quando emtor feudum l. ejus partem semel legitime acquisitam invitus alienare non adigitur, idque in foro m. observari testantur C. Z. P. 1. Dec. 71.*

*PHILIPP de Subhaf. l. IV. C. 13. n. 44. SVENDEND. ad Proc. FIBIG. p. 1075.* qui hanc sententianandi formulam adhiberi afferit: *Dass N. N. den Theil des Guthes N. gegen Er- legung seines Antheils einzuräumen schuldig.* Neque quicquam facit, quod Debitor hoc casu iterum recidat in Communione, qua tamen multis involuta est difficultatibus. Respondeatur enim, invitus in Communione non retinetur: Sed ad novam progreedi potest subhaftationem. Sicut nec *l. 64. ff. d. C. E. V.* dissentientium sententiae quicquam adminiculatur; quandoquidem de Casu, quo quis tertio stipulatus erat, agit. Hæc autem stipulatio respectu tertii, Jure Civ. stricto inutilis erat: verum, cum *E. Vend. sit bona fidei Contractus, æquum JCto visum est, ut Ven- ditori succurratur, & totius fundi Emto ad Emto pertinere, afferatur, cum vendor fundi partem venditurus probabiliter non fuerit. ANDR. TTR. d. l. Gl. §. 5.* Quam legis interpretationem adjuvat. *l. 13. §. 17. d. A. E. V.* nec non *l. 110. ff. d. V. o.* Quod autem ad Leg. 78. §. 2. ff. d. C. E. V. attinet diversus plane in eadem proponitur Casus qui ad præsentem Dissertationis materiam nihil confert, scilicet quidam Venditor pactum de retrovendendo inierat, relinquensque duos hæredes, quorum unus partem ree- mere volens non audietur. Partim, quia emto est hic individua & voluntaria, partim, quia hæredes non plus Juris habere possunt, quam defunctus ipse. 3) Ea, quæ *Cz. d. Def.* differit saltem de opinione quorundam Ddr. accipienda sunt; nec leges ab ipso allegatae quicquam horum evincunt.

§. XII.

§. XII. Huc pertinet etiam, dum de Persona reluente loquimur; illa quæstio: Utrum Debitor in favorem tertii feudum Lusatiae superioris reluere possit? Dumque Verba non solum ordinationis P. & J.L.S. §. 4. sed & Ord Proc. Sax. Elect. d. satis clara sunt, daß aller ungebührliche wiederrichtlicher Schein-Kauff gänzlich zu vermeiden, ideo etiam quilibet Negativæ sententie accedit, præsumpositis modo iis, quæ simulationes aut dolum malum arguant, ubi & præsumptiones sufficere possunt ad Juramentum imponendum. Talis Præsumtio adeat, si Debitor sic satis verisimiliter ex bonis propriis reluitionis pretium exsolvere nequeat, nec quisquam facile illi pecuniariam mutuo daturus sit. Quo casu vel emitor sub hasta, vel proximior agnatus Judicem implorare possunt, ut debitori reluenti Juramentum purgatorium injungat, quod sibi, non vero in tertii favorem, reluere velit, atque tunc pronunciatur; daß N. N. vor allen Dingen, daß er sein subhaftes und an N. adjudicirtes Haufz selbst an sich lösen wolle ehdlich zu erhalten schuldig, worauf alsdenn ferner ergehet, was recht ist. secundum Dn. SWENDENDORFF. ad FIBIG. p. 1070.

§. XIII. Quam ob causam facile dijudicare licet, quid sentiendum, si remotior simultanea investitus se se ad reluitionem offerre, proximioremque e. g. debitoris filium excludere velit, quod pari modo fieri nequit. Quanquam enim ille non sit extraneus, quippe qui ex cessione jus nullum nancisci potest, quod tamen beneficio temporis & attento ordine remotior agnatus consequitur: tamen anticipatio hæc oblationis nullum effectum, sortiri potest, quamdiu debitor ipse, proximiorque se nondum declaraverunt, se non usuros esse beneficio reluitionis concessò.

§. XIV. Merito hinc etiam omni reluitionis cessioni locus denegatur. Nam si debitori vel Agnato Jus reluendi cedere liceret, (de qua re tamen in all. Ordin. altum silentium proinde ultra verba non extendenda) sequeretur, emitori sub hasta minus permisum esse quod extraneo, si idem pretium, quod hic obtulit, solvere paratus sit, præferatur, quod tamen illi

emtori O.P. S. T. 39. §. Damit aber ic. it. D. L. A. und G. D. d. l.  
 §. 4. expresse concessum est. Speciose quidem objicere quis pos-  
 set, rem eandem esse, sive debitor extraneum emtorem pingui-  
 rem offerat, quod allegata Jura permittunt, sive relutionis bene-  
 ficium cedat; astnequaquam. Nam extraneus a debitore obla-  
 tus emtori idem, quod ille obtulit, solventi postponitur. O. P. S.  
 §. 13. Quodsi vero extraneus ex Jure cesso ageret, jus emtoris sub  
 hasta plane interverteretur, nec casus facile existeret, quo pin-  
 guior emtor extraneus a debitore offerretur.

§. XV. Cumque in O.P. S. Juris reluendi cessio speciatim  
 prohibita non inveniatur, mentio tamen fiat beneficii, quo debi-  
 tor emtorem pinguiorem offerre potest: Hinc B. Dominus  
*P H I L I P P. d. l. n. 31.* nec non *Dn. M A R T I N I ad O.*  
*P. S. 39. §. 13. n. 20.* relutionis Jus cedi posse firmissime persvasum  
 habuerunt, non perpendentes ad solum debitorem hoc Jus restri-  
 ctum esse, inque ejus favorem introductum, imo cessionem & relu-  
 tionem sibi invicem contradistingui, quod illa fiat eo pretio, quod  
 a Creditore vel alio Emtore sub hasta solutum, haec vero, relui-  
 toris extranei oblatio requirat majus. vid. *S W E N D E N D. ad*  
*P r. F I B. p. 1065.* Nec argumentum a transmissibilitate in ha-  
 redes debitoris petitum momenti aliquius est. Præterquam enim  
 quod liberi defuncti debitoris una cum illo censeantur esse perso-  
 na, in qua Jura paterna potius continuantur, quam de novo ac-  
 quiruntur, & eadem adhuc ratio; accedit & hoc, quod Jus prælatio-  
 nis doti cohærens in extraneum transferri nequeat *l. 12. ff. qui potio-*  
*res in pignore liberi tamen propter representationem eodem fru-*  
*antur.* Ex quo sequitur non omnia, qua in certos hæredes trans-  
 ferre licet, statim quoque cedi posse, id quod probe monet *Dn.*  
*S T R Y C K. de Success. ab intestato Diff. 6. c. 2. §. 39.* & ex variis Ju-  
 ris materiis exemplo e. g. Juris immiscendi sese hereditati, A-  
 ctionum directarum, sepulchorum familiæ ab *A N D R. T T-*  
*R A Q V. de Retrlignag. T. III. G. 1. n. 48.* illustratur, con-  
 sentit *Excell. Dn. B E R G E R U S in Elecl. Disc. For. Tit. 39.*

*p. 1217.* §. XVI.

§. XVI. Et tametsi forte intuitu feudorum Lusatiae Superioris Privilegium Maximilianeum liberam alienandi facultatem judicialiter & extrajudicialiter indulgens opponi posset: non tamen exinde ad alienationem necessariam, nimirum subhastationem, quicquam valide inferri poterit, quippe quæ suam formam & modum in ordin. Provinc. & Judic. Lus. Super. §. 4. præscriptum habet, nec eidem expresse derogatum deprehenditur. Ut ratiocinam hanc potestatem de feudo disponendi nequaquam illimitatam, sed quodammodo suis limitibus circumscriptam esse, si quidem Vasalli Domino feudi, se feudum vendere velle, denunciare tenentur, absq; habita distinctione alienationis judicialis aut extrajudicialis, vid. O. L. L. O. s. Als erklähren wir ic. Sic dantur ibidem etiam feuda hujus Privilegii Maximilianei expertia, intuitu quorum Vasallis de feudo disponendi libertas haud indulta est, dicto loco, verb. Wie denn auch denen die sich etwa durch sonderliche Pacta derhalben verglichen, durch diese neue Verordnung nicht præjudiciret, sondern dieselben bey ihren habenden Rechten de non alienando billich gelassen werden sollen. Cumque non minor ratio sit, quare feuda relutioni obnoxia sint, ut nimirum in familia permaneant, & simultaneo investitorum Jus non penitus eludatur; hinc horum pariter intuitu Cessio Juris reluendi merito de negatur. Quæ etiam in retractu feudali obtinere tradit TTRAQVELL. d. l. Gl. 9. §. 26.

§. XVII. Hoc vero extra dubium est positum, Jus reluendi non ad solam debitoris personam esse adstrictum, sed & ejusdem heredibus competere, quatenus hereditati paterna non renunciarunt. Cum n. iussu Regis Poloniarum Potentissimi An. 1699. revisio O. P. S. suscepit fuisset, plerique Jutorum, huic negotio satis arduo adhibitorum in id Conclusum conspirarunt: Hierachst ordnen und sezen wir, daß das dem Schuldner zu Güte eingeführte Wiedereinlösungs-Recht zwar auch dessen Kindern, da sie des Vaters Erben worden ic. vid. Dn. BERGERI obs. 12. El. Disc. For. ad Tit. 39. O. P. S. recogn. Et tametsi re-

visa haec O. P. S. publicæ Legis vim nondum consecuta sit: tamen in pronunciando jam diu eandem sententiam approbatam fuisse ex Responso Dominorum Scab. Lips. elucescit: Ob nun wohl sonsten vermöge der Sachs. Rechten, wenn der Gläubiger ein sub hasta erkaufstes Guth erstehet, dem Schuldner innerhalb Jahr und Tag solches zu reliuiren nachgelassen, welches Jus reliutionis auch auf die Kinder des Debitoris verfallet wird; Hiernechst in gegenwärtigen Fall der von Carlwiz wegen unterschiedener geforderten Ge-fälle ein Creditor ist, und denjenigen, welchein das Guth zu geschlagen, sein Licitation Recht überlassen, also, daß dieser ex Jure celso Creditoris zum Raiffe kommen. D. a. u. d. Was von des Schuldners Kindern angeführt, anderer Gestalt nicht statt findet, als wenn dieselben auch zugleich des Vaters Erben seyn, und also seine Person repräsentiren; Pohle aber, und dessen Geschwister, euren Anziehen nach, der Väterlichen Erbschafft gänzlichen renunciret, auch die- seimnach weder pro debitoribus, noch derer denenselben zu gute verordneten Rechts-Wohlthaten fähig zu achten. So mögen sie auch, gestalten Sachen nach, zur Reluition nicht zugelassen werden.

§. XVI. Quodsi vero debitor ejusdemque filii in Lusatia superiori feudum reliuere vel nolint, vel non possint: Jus hoc reliutionis ad reliquos simultaneo investitos devolvitur. O. P. & J. L. S. d. l. verb. dem debitori und seinen Mitbelehnten Jahr und Tag zur Ablösung reserviret und frey gelassen seyn. Dantur autem in Lusatia Superiori duplicitis generis simultaneo investiti a) Qui ex speciali saltem investitura succedunt, sive ut in O. F. L. S. §. Als erklähren wir ic. exprimuntur diejenigen, die mit alten Special-Belehnungen versehen, it sezen, ordnen ic. verb. so vor allgemeinen erhabenen Privilegio die besondere und Special-gesamte Hand gehabt. Hæcque simultanea investitura & Jur. Sax. Comm. & Elec. basis & fundamentum successionis

col-

collateralium in feudo est vid. Sächs. Lehn-Recht c. 21. verb. Es erbet auch niemand kein Lehn an einen andern Sohn der Vater auff den Sohn. Es sey denn, daß einem die Anwartschaft oder das Gedinge an des andern Theile anderweit geliehen sey. Quam Juris Germanici antiqui dispositionem hodienum in quamplurimis Germaniae feudis immediatis & mediatis, ita tamen, ut simultanea investitura sanguinis Juri ut plurimum attemperetur, obtinere testantur Excell. Dn. TITIUS Spec. Jur. Publ. L. IV. c. 4. §. 8. MODESTIN. PISTOR. Vol. II. Conf. II. n. 34. HARTM. PISTOR. P. II. quæß. 19. 20. principio. CARPZ. P. II. const. 45. D. 13. β) Vel agnati intra septimum consanguinitatis gradum constituti secundum graduum prærogativam (nach rechter Sipp-Zahl) & quidem ex privilegio Imper. Maximiliani II dì, quod postea a. 1633. a Joh. Georg. Glor. Mem. Sax. Elect. confirmatum est, absq; præcedente pacto & investitura, ipso quasi jure in feudo succedendi jus consequuntur. Tandem J. G. II. gratia gratiam addens utriusque generis investitos in eo exæquavit, ut, antequam possessio feudi ad aliquem ex simultanea investititis devolvatur, ab obligatione investituram petendi contra Communis Jur. Sax. rationes immunes essent, prout patet ex O. F. L. S. §. sezen, ordnen und wollen wir ic. Hinc insignis inter hos duplicitis generis simultanea investitos quoad materiam relutionis intercedens differentia notari meretur. Nimirum feuda, in quibus succeditur secundum specialem investituram, (die mit alten Special-Beklehnungen versehen) nemo reluere, potest nisi expresso pacto in simultaneam investituram receptus: contra feudum, in quo succeditur ex Privilegio Maximiliano, reluere possunt omnes intra septimum Consanguinitatis gradum constituti Agnati, ita tamen, ut proximior semper remotiore exclusat.

§. XIX. Quibus præmonitis, commodius regula subjici poterit: deficiente debitore, Jus hoc reluendi simultanea investititis, qui tales sunt omnes Agnati usque ad septimum inclusive gradum, secundum graduum prærogativam, competit. Ut

ut

ut vero in successione feudali Juris Civilis computationem observari ab Interpretibus asseratur: aliud tamen quoad Lusatiae superioris feuda expressa sanctione introductum reperitur. Nam ductu der **D. L. Lehns-Ordn.** §. **Wenn** auch computatio graduum secundum schema in Jure Sax. Communi **L. 1. Art. 3. Land-Recht** sub figura hominis quanquam satis inadæquate expressum, instituenda est. Nec Saxonica isthac computatio a reliquis, ut vulgo creditur, recedit, sed in ipso Jure Canon. **C. 1. Qu. 5. C. 35.** occurrit, & Pontifice Alexandro II. **C. 2. d. l. in fin.** recte observante, facile cum reliquis, modo diversum cu-jusque respectum distingua, conciliari potest. Illud saltem inter **Canon. & Saxon.** computationem discriminis intercedere mihi videtur, quod prior non Parentes, sed fratres truncum constituant. Cæteroquin num hæc computatio beneficere habeat, num vero defectibus labore, disquisitionem ab instituto meo alienam arbitror, & vericupidum Lectorem ad **Exc. Dn. TITII Spec. Jur. priv. Lib. VI. C. 3. de Consanguv. & Affin.** remitto.

§. XX. Inter Agnatos procul dubio post debitorem sive adhuc superstitem sive vivis eruptum, ejus filio reluendi Jus asseri debet. Et rameti alias ad solius debitoris personas restri-ctum sit, & hinc ejus personam egredi non posse videatur: ta-men quoniam filius in Jura Patris prædefuncti succedit, & hujus personam ratione commodorum repræsentat, imo quasi debitori ipsius personam induit; liberis etiam vivo Parente hoc jus est concessum vid. **Exc. Dn. BERG. in E. D. F. Supplen. p. 688.** Quod tamen Jus non absolute adeo filio debitoris, sed cum hac restrictione datum est, ut simul hæreditatem paternam, min-nimum cum beneficio inventarii, adeat. Id, quod cum Jure Feudali Longobardorum **z. F. 45. §. Ubi** vero **Filium &c. vid.** **STRICK. E. J. F. c. 16. qu. 21.** cum præprimis **Ord. Torg. S. Welcher Gestalt** die Agnaten **w. verb.** dieweis aber **w. Dennoch w.** convenit. Cujus ratio hæc est, quia filii feudum aliter non ac-quirunt, quam a Patre Jure sanguinis, nec ut alii simultaneo in inve-

investititi Jure proprio succedunt, STRUV. S. J. F. c. 13. §. 16.  
Contra collaterales agnati, repudiata etiam hæreditate allodiali, si  
a proximiori non excludantur, feudum reluere possunt. arg. 2.  
F. 45. it. 51. §. Filius &c.

§. XXI. Hinc filius, qui hæreditati paternæ allodiali  
vel vivo adhuc patre renunciavit, vel eo defuncto illam repu-  
diavit, ita, ut curator litis constituendus fuerit, qui creditoribus  
respondeat, licet hæreditatem rursus adire velit, ad reluendum  
non admittitur. Nam cum filius ex sola Patris persona feu-  
dum consequatur, & sic lucrum sentiat; hinc rationis est, quod  
factum ejus jure licitum improbare non debeat, l. 149. ff.  
de R. J. sed potius omnia implere, ad quæ Pater tenebatur.  
M E N O C H. Conf. 115. n. 59. Vol. 2. Accedit & hæc ra-  
tio, alteri per alterum iniquam conditionem inferri non debere.  
L. 74. de R. J. Hoc vero casu, si filii paterna hæreditate allodiali re-  
pudiata in feudum succedere possent, Creditoribus Patris non feu-  
dalibus ingens eo ipso præjudicium inferri, quilibet perspexerit.  
Quibus & hoc addendum est, filios tali casu ex mente Ref. TORG.  
d. l. pietatem Patri debitam enormiter lacerare. Quem in mo-  
dum Summus Provocationum Senatus 1687. Term. ejf. contra C.S.  
von B. pronunciavit, his protocollo rationibus insertis: Appellant  
will sich des Juris reluendi an den väterlichen Eisenhammer ge-  
brauchen, und erklähret sich des Vaters Erbe cum beneficio  
inventarii zu seyn. Weil er aber in Actis f. 94. der Väterl.  
Erbschaft renunciret, so gehets nicht an, daß er in passibus  
utilibus sich des beneficii inventarii bedienen, in odiosis aber,  
und wenn es zur Bezahlung der Schulden kommt, sich  
als Erbe nicht wolle finden lassen.

§. XXII. Neque tamen omnes filiorum nomine venientes  
ad relutionem admittuntur, sed in genere, ut juxta præscriptum  
legum feudalium succedendi habilitate gaudeant, requiritur.  
Quod ipsum contingit, si 1) per legitimam nativitatem in linea  
masculina a primo acquirente descendant. 2) ad servitia militaria

præstanta apti sint, 3) & honestam in curia feudali standi personam habeant. His requisitis generalioribus legibus paſſim moribusve diversarum Provinciarum feudalibus alia magis specialia addi solent. Quandoque etiam inhabiles ex feudi qualitate vel pacto eum in finem legitime inito succedunt, nec non habiles ob delictum vel proprium vel alienum a Successione excludi contingit.

§. XXIII. Vi ergo primi requisiti a relutionis facultate, excluduntur a) ex legitimo quidem matrimonio, sed non a primo acquirente nati. Tales sunt: a) liberi adoptivi 2. Feud. 26. §. adoptivus, nam adoptio Jus sanguinis non confert, l. 23. de adopt. & filii sicut ita dicti secundum Baldum *Conf.* 24. de *Statuto Civitatis* in statutis de filio loquentibus in dubio non comprehenduntur. Id quod in Retractu apud Gallos obtinere pluribus tradit T T R. d. l. gloss. 8. n. 16. &c. b) ascendentes, quæ dispositio ex feudorum origine dependet. Neque enim olim ulla in feudis successio obtinebat: successu tamen temporis ad Descendentes ex primo acquirente producta est. H A R T M. P I S T. L. II. q. 19. n. 45. idque regulariter de novo æque ac antiquo feudo prædicatur excepto 1) casu, quo Pater in gratiam filii feudum refutat, hiç autem, vivo parente fatis concedit, arg. 2. F. 49. Tum enim frater defuncti Patrem non excludit, quoniam hic illo, quoad gradum, defuncto propinquior est l. 12. de suis & legit her. 2. F. 50. ANDR. de Ifern. C. in. de nat. success. feud. 2) si in literis investitura feudi novi aliud expresse dispositum sit, arg. 2. F. 84. S C H R A D. de feud. P. 7. c. 6. n. 3. Conferatur S T R U V I U S. S. J. F. Cap. 9. apb. 3. n. 4. r) fratres & collaterales 2. F. I. §. 2. his vero vel lege feudali vel pacto successionem tribui posse, dubium non est. Prius contingit, quando successio secundum consanguinitatis gradus defertur; posterius autem, si ex simultanea investitura obtinet. b) qui a primo quidem acquirente sed non ex legitimo matrimonio nati; hinc excluduntur naturales, spurii 2. F. 26. §. naturales, adulterini, incestuosi & ex damnato coitu procreati, V U L T E f. de

*de Feud. L. I. c. 9. n. 91.* quod ratione priorum Interpretes eo extendent, ut Juris Civ. ratione in l. 19. ff. de Stat. Hom. it. l. pen. ff. ad SCium Orphit. l. 1. §. seu ad ff. ad SCium Tertull. neglecta ne quidem in feudo foeminino, filiis spuriis & naturalibus Jus in feudo succedendi matri concedant. *HARTM. PISTOR. l. 2. Qu. 40. n. 2.* *STRUVIUS S. J. F. C. IX. p. 302.* Nec immerito ita statuitur; partim, ne impudicis amoribus fræna laxentur, partim, ne tali modo Jus Agnatorum vel simultaneæ investitorum in feudo succedendi plane eludatur, aut aliquando etiam Apertura Feudi in Præjudicium Domini Directi impediatur *arg. I. F. 13. §. et si Clientulus.*

*§. XXIV.* Quid autem de liberis naturalibus postea legitimatis sentiendum sit, nunc investigandum erit. Tametsi igitur 2. f. 26. §. *naturales*, per verba generalia, licet postea legitimati sint, a successione in feudis excludi videantur; tamen textus allegatus a plerisque Feudistarum, usu quoque & consuetudine accedente, de solis Rescripto Principis legitimatis explicari solet, eosque tantum a successione feudaliter arcet. vid. *HARTM. PISTOR. L. 2. Qu. 40. n. 5. n. 5.* & *Dd. ibi alleg. it. FOERSTER. d. l. c. 30. n. 1.* Neque obstat, 1) illos Jus legitimorum natalium consequi, *Nov. 89. cap. 9.* Præter hoc enim etiam requiritur, ut saepius monitum in successore feudali, ut ex justis nuptiis vel statim ab initio vel ex postfacto minimum putative talibus procreatus sit, quod in legitimatis per subsequens matrimonium saltem contingit. 2) Principem, si Dominus feudi simul sit, legitimando tacite quoque succendi habilitatem tribuisse; ast ille non potest, nec velle presumitur derogare aliorum Juri quæsito. Quæ assertio eo minus dubii habet, quo magis investitura literis communiter hæc inserta deprehenduntur verba: *Und belehne euch hiermit vor euch und eure Eheliche Leibes-Lehns-Erben.* Consulatur præterea saepius allegatus *STRUVIUS in Syntagmate suo Feudali c. 9. p. 303.* qui varias suppeditat limitationes. Contra vero per subsequens matrimonium legitimati ex recepta & unanimi ferme omnium.

Feudistarum sententia, quos citat *P I S T.* L. 2. qu. 41. n. 1. excepto  
*Oldrado in Conf.* 247. in feudo succedere possunt. Nam eo ipso  
non solum ex dispositione Juris Civ. & Canon. *Nov.* 89 c. 8. l. 10.  
*sq. C. d. lib. Nat. C. 6. X. filii qui sint legit.* legitimate natorum Jura con-  
sequuntur: sed etiam per justas nuptias, tametsi nativitatis tem-  
pore nondum celebrata fuerint, tali modo ab habili successore de-  
scendere dicuntur, in tantum, ut statuta de filiis legitimis dispo-  
nentia, quantumvis stricte accipi soleant; tamen per subsequens  
matrimonium legitimatos comprehendant. *B O E R I U S Dec.* 159.  
*n. 5.* Sicuti porro literæ Investituræ mentionem facientes filiorum  
ex corpore legitimo descendantium per subsequens matrimonio-  
um legitimatos non excludunt. Nam ex legis dispositione legi-  
timatio isthac ad ipsum nativitatis tempus retrotrahitur. *Dec.*  
*Conf.* 155. Etuti Janus ab Arcedula loquitur *Concl.* 7. n. 22. Nu-  
ptiæ realiter ( licet aliquantum tardius ) intercedentes reddunt,  
quod absentia illarum abstulit; hæ præsentia sua Domino & a-  
gnatis admunt, quod prius absentia dederant. Cæterum si ali-  
cubi lege vel moribus taliter legitimatis successio sit denegata;  
quod *S T R U V I U S* S. J. F. C. IX. Apb. 3. n. 13. asserit, ejusmo-  
di Constitutioni quoque tum standum erit.

§. XXV. Pariter ex despontatis procreatos Jure reluendi u-  
ti posse, & Jure Civ. & Canon. expeditum mihi videtur, ex quibus,  
deficiente propria decisione, Jus feudale suppleri solet. Nam *C.*  
*12. in fin. X. qui filii sint legit.* hoc expresse continetur, quod ex de-  
spontatis procreati sint legitimi, adeoque per consequentiam Jus  
in feudo succedendi illudque reluendi habeant. Huc m. facit *l. 30.*  
*d. R. J. 16. & 8. ff. d. Grad. Consangu.* Quæ omnia in Sax. Elect.  
& Lusatia superiori eo minus dubii habent, ob expressam *Nov.*  
*Dec.* 49. modo Sponsalia fuerint publica in Sensu Juris Saxonici,  
nec alio vitio intrinsecò laborent. Sicut non minus m. ad relui-  
tionem admittendi sunt, qui ex illegitimo quidem, sed putativo  
matrimonio nati, *arg. l. 57. §. 1. d. L. N. c. 10. X. qui filii sint legit.*  
Id quod antiquis moribus jam obtinuisse docet *Art. 27. Lib. 3.*  
*Land R. Wer ein Weib nimmet unwissend zur Ehe, der er zu*  
*Recht*

Recht nicht haben mag, es schader denen Kindern zu ihren Rechten nicht. Tandem ex sententia Juris Can. c. 8. X. de eo qui consangu. cognovit, si quis cum vidua extra matrimonium concubat, ac postea illius filiam, rei hujus ignaram ducat, tale matrimonium subsistere dicitur; adeoque filii ex eo nati sicut successionis Jure, ita etiam relutionis beneficio privari non posse, Juris Canonici Doctores statuunt. Verum cum haec papales redoleant de matrimonii Sacramento hypotheses: hinc in foris Protestantium merito tale matrimonium pro nullo declarabitur.

§. XXVI. Beneficio secundi requisiti relutione uti poterunt regulariter soli filii & masculi ex his descendentes, nisi vel pactum vel feudi natura; quo casu tamen non nisi in Subsidium admittuntur, arg. II. f. 30. 2. F. 51. §. similiter foeminis locum faciat. Hinc regulariter excluduntur filiae Vasalli. arg. II. f. 1. §. hoc autem 2. f. 11. HARTM. PIST. L. 2. Qu. 39. n. 15. item Cognata. Neque alia Juris dispositio obtinere debet, tametsi feudum francum, Censuale, vel pignoratum, aut in literis Investituræ clausula: Zu einem Mann Lehnsomissa sit. Nam secundum principium im- Juris feudalis ab omnibus concessum, feudum in uno naturalium proprium, tale statim, quodam reliqua, haud est. Et licet nonnulli arbitrentur, Dominum servitiae feudalia vel plane remittentem, vel illorum loco de censibili pròspicientem foeminas aque ad Jus succedendi, adeoque & reluendi admittere censerit: Idem tamen per se probatur. Nam remissio Juris sui quod precipue in tantum præjudicium remittentis vergit, minime præsumitur, & est strictæ interpretationis, ut regulariter omnia pacta, nec ultra ex pressa verba extendenda & arg. I. 35. 47. §. 1. ff. d. Pactis. Præter dicta & haec rationes meæ sententia latris ponderis addunt, quod foemina sit finis familiae I. 195. d. R. J. & tali modo feudum insigni Agnato rum & Domini Directi præjudicio in exteriores e familia sit transitu rum, & huic invito novus Vasallus obtruderetur, id quod Jurisfeudalis rationibus contrariatur. Neque dissentientes ex II. f. 104. quicquam probant, cum inter capitula extraordinaria, quæ vi Juris destituantur, referendus sit textus.

§. XXVII. Ejusdem requisiti ratio Clericos reluendi Jure privat, licet tempore reluitionis statum & vitam Clericalem mutare velint arg. II. ff. 30. quia semel per assumptionem, habitus religionis plane facti inhabiles censentur; id quod tamen cum eo temperamento accipiendum, ut, Domino Volente, certe paribus non penitus feudorum incapaces existimandi sint. In Sax. tamen El. Clerici indubie in feudo succedunt, adeoque ordine illos tangent, si velint, id etiam reluere possunt. vid. *Conf. 28. P. 3.* & dealiis etiam locis testantur *BERLICHUS p. 3. c. 39. ROSENTHAL 1.c.7. conclus. 30.* Nec ordinis Johannitici ac Teutonici Equitibus, immo Canonicis Protestantibus, quempiam Jus hoc denegatur spero, nisi forte lex specialis alicubi obstat. Nam, cum priores, juxta primavam institutionem militiam sequi debeant, quam maxime feudorum capaces sunt; posteriores autem non nisi improprie & irregulares Clerici sunt. vid. *C. constitutus X. de in integrum restituere.* Num vero posthabita Constat. El. Saxon. Novitus ante Professionem factam, si monasterium relinquat, & ad reluendum sese offerat, admittendus sit si queratur, merito affirmative responderi debet. Nam tamen si *C. 3. X. de statu Monach.* dicatur, qui similem cum aliis vitam elegit similem cum illis sentiat disciplinam, immo eadem Jura & forum *C. 21. X. d. sentent. Excomm.* habeat, & hinc novitus ejusmodi videatur esse religiosus: hæc tamen eo usque saltem procedunt, quandiu in monasterio moratur. Illo autem derelicto & sic conditione mutata, impedimentum quoque sublatum erit. Quod autem ad eos attinet, qui sunt imperfecti animo aut corpore, vel natura, vel casu, de iis videoas *ROSENTHAL. Concl. 25. n. 1. seqq. It. L. Recht. L. 1. Art. 4.* Wer unvollkommen an seinem Leibe, der ist wohl Erbe zu Lande, aber nicht zu Lehn. Levior quivis tamen defectus inhabitatem non operatur. d. 1.

§. XXVIII. Post debitorem & ejus descendentes Agnati Collaterales a primo acquirente perlineam masculinam descendentes,

dentes, Jus reliundi, quod iterum intuitu feudorum Lusatiorum ex ordine successorio dijudicandum erit, exercere possunt. Quem tamen ordinem ex professo cum limites instituti mei hoc disvadeant, haud excutiam; sed unam alteramve questionem specialem proposuisse sufficiat. Sic inter ascendentess pater aliquando feudum reliuere potest, quando illud in gratiam filii refutavit, & hic ob as grave alienum subhastationem feudi admittere tenetur, nec ipse ob egestatem reliuere potest, nec liberos habet, qui Jus illud forte exerceant. Quo casu Pater obearati filii fratrem, cum ille in linea propinquiori constitutus sit, arg. II. f. 50. excludit. E contra, si quis fratri filio feudum refutavit, hoc, feudum subhastatum non reliuente, nec ejus filiis, Pater admissus erit. *Bocerus de Success. c. 4. qu. 2.*

§. XXIX. Quoad relutionem collateralium notari mereatur, quod illa regulariter ad agnatos aut simultanee investitos pertineat; possunt nihilominus vel ex feudi natura vel ex pacto cognati aliquando admitti. Quo tamen casu masculini sexus & agnationis prærogativa nisi æqualitas diserte placuerit, observari debet. Hinc ante omnia jure reliundi uti possunt debitoris fratres germani, & consanguinei, uterinis exclusis, quia hi a primo acquirente non descendunt 2. F. *HARTM. PIST. L. II. qu. 43. n. 13.* Aliquando tamen uterini etiam pari cum germanis jure utuntur, puta, si feudum fœmininum sit, imo in casu speciali, quem *STRUV. c. 9. §. 6. n. 2. S. J. F.* refert, consanguineos excludunt. Quodsi fratres ejusdem qualitatis concurrent, pro rata admittuntur. Si frater & fratri filii concurrent, Jure representationis secundum stirpes reliunt, vid. *D. E. L. D. §. Und weil es ic.* Fratribus vero non extantibus secundum capita patruis exclusis feudum reliunt. *STRUV. d. l. §. 5.* Debitoris Patruel & Patruo concurrentibus, hunc ille ob lineam propinquiores, quæ a debitoris patre incipit, dum e contrario patruorum linea ab Avo originem habeat, excludit. Cujus affecti

ferti ratio ex communi mortalium affectu, quo bona sua prius in descendentes, quam collaterales devolvi cupiunt, desumenda est. Hinc etiam patrueles, quippe qui jure proprio succedunt, secundum capita reluant, vid. *Exc. Dn. TITI Spec. Jur. Priv. L. XI. c. 16. §. 10.* His omnibus deficientibus reliqui agnati usque ad septimum gradum Jure Lusatiae superioris secundum linearum & graduum prerogativam Jure reluendi utuntur, ita, ut Debitori in Linea proximiori conjuncti reliquis in remotiori existentibus, licet gradu forte propinquiores sint, præferantur.

§. XXX. Caterum, ut Agnatus religere feudum possit, sufficit, si ante annum effluxum vivus & habilis nascatur, vel minimum probabilis spes sub sit, fore, ut brevi intra justum tamen tempus in lucem edatur. Nam nascituri pro jam natis habentur, quoties de eorum commodo agitur. *I. 26. de statu hominum* Quo casu requiritur, ut nascituro tutor eventualiter constituantur, qui justo tempore ad relutionem ejus loco realiter sese offerat. *Tyr. d. l. Gl. i. v. 43. p. 288.* Nec a relutione excluduntur illi Agnati, qui extranei sunt, vid. *O. L. L. O. S.* Wie denn auch *W.* ubi insimul Agnato remotiori contra extraneum, licet propinquiorem, exceptio, qua hunc a reluendo removere potest, suppeditatur; nimur si forensis in alterius Domini territorio feudum possideat, nec ut agnati sc. qui tales sunt intuitu Feudi Lusatiae superioris ibidem in simultaneam investituram a Domino reciperentur, euravit. Nam in *O. F. L. S. d. l.* sic dispositum reperimus: obliegen soll auch hinwiederumb gegen ihre Geschlechts-Agnaten und Vatern dieses Orths gesamte Lehn mit Consens ihrer Lehns-Herrschaft aufzurichten. *v.*

§. XXXI. Cum vero Casus existere possit, ut Agnatus eo tempore, quo illi relutionis beneficio uti licuisset, absens sit, queritur, an alias loco Agnati absensis ad reluendum realiter sese offerens admittendus sit? Quod procul dubio affirmandum arg. *I. ult. C. ad SCtum Miced.* Quod si vero post anni effluxum ratiha-

ratihabito demum subsequatur, reluitio nulla est. *arg. l. 24. pr. ff. rem ratam haberi.* Nam omnem actum pro alio susceptum ratihaberi oportet eo tempore, quo adhuc in ea causa est, ut suscipi possit. Itaque reluitio post annum & diem in Lusat. super ratihaberi non potest. Id quod multum illustratur per ea, quæ *FRANC. ARET. Conf. de Apellatione alterius inscii nomine interposita tradit.* Ex quibus fluit, illius Juri reluendi præscriptum esse, cujus Procurator Speciale quidem ad reluendum habuit mandatum, sed post annum demum illud exhibet. Morali enim æstimatione non esse, nec apparere idem sunt. Idemque effectus obtinet, sive quis intra statutum tempus aliquid omnino non, vel non sufficienter faciat *C. 46. d. Elett. in 6to.* Procuratores igitur non nisi speciali mandato instructi, & justo tempore illud exhibentes, admittuntur.

**S. XXXII.** Spectato hactenus Jure reluendi respectu personarum, quibus competit, nunc, ordine id exigente, etiam de Jure Debitoris altero, nempe emtorem pinguiorem offerendi agendum erit. Oblatum igitur feudi capacem esse debere, dubio caret. Nam Domino invito Vasallus inhabilis obtrudi nequit. Et tametsi habilitate debita gaudeat; Domino tamen Directo prius hunc oblatum esse denunciari debet. Nam graves quandoque rationes subesse possunt, cur Dominus oblatum in Vasallorum numerum recipere nolit. Cumque LLator non minus in *O. F. L. S. d. l. quam in O. P. S. Tit. 39. §. Damit aber ic.* Omnes simulationes in relationis beneficio exultare debere disertis verbis constituerit: hinc si ex præsumptionibus appareat, emtorem pinguiorem non nisi simulationis & emtoris sub hasta vexandi causa oblatum esse; huic sc. oblato, illo postulante, Juramentum purgatorium deferri posse ratio æquitasque exigunt. De quo supra pluribus actum.

**S. XXXIII.** Exserit hoc Jus reluendi sese contra omnem sub hasta emtorem, sive extraneus, sive Creditor sit, per verb.

D

der

der O. L. A. u. G. O. d. l. §. 4. es habe gleich der Creditor, o-  
der ein anderer licitiret, und dadurch die adjudication erhalten.  
Adeoque notatu digna Juris Sax. Elect. & Juris Lusatiae Superioris  
differentia occurrat. Nam illo ex Interpretatione DDr. Sax. re-  
luitio in hoc solum Casu obtinet, quando nullo emtore extraneo  
reperio, Creditor licitans feudum subasta consecutus est CARPZ.  
Pr. Tit. 25. Art. 5. n. 3. quamvis & hic Superioribus temporibus  
dissensus JCtor. Sax. non defecerit, uti videre est in Exc. Dn. BER-  
GER. E. D. F. ad Tit. 39. p. 4219. Contra Jura Lusatiae Superioris  
Debitori & simultaneo investitis plenius prospexerunt, certamque  
normam præscripserunt, qua Debitori indistincte, sive Creditor  
sive extraneus licitatus sit, reluendi potestas indulta est. Datur  
que contra quemcunque emtorem, sive persona simplex aut mo-  
ralis e. g. Universitas Ecclesia &c. sive secularis sive Ecclesiastica,  
sive major, sive minor, sive consanguinea, sive minus sit. Lege  
enim non distingue, nec nobis distinguendum erit.

§. XXXVIII. Cum vero Emotor sub hasta reluitionem im-  
minentem avertere, illoque sine pretium, licitatione jam finita-,  
nach erstandenen Licitations-Recht augere velit, quæritur an ad-  
mittendus sit? Id quod primoquidem intuitu affirmandum vide-  
tur. Nam subhastationis finem, qui est, ut pro maximo pretio,  
quo fieri potest, res subhastata in alterum alienetur, id requirere,  
duci posset. Ast, negotio penitus inspecto, in negativam senten-  
tiam concedere malim. Nam, α) cum Licitatione perfecta  
(was das Licitations Recht erstanden) terminus qui legalis adeo-  
que peremptorius est, elapsus, & eo ipso alteri parti Jus quæsum-  
bit, ita, ut omnia in eo statu, quo tempore fatalis effluxi fuere, per-  
